

PRAEFATIO.

Continentur hoc libro omnes linguae sanscritae radices et vocabula usitatissima cum verbis graecis, latinis, germanicis, lithuanicis, slavicis, celticis comparata, et, quantum fieri potuit, librorum sanscritorum locis illustrata. Plurimae tamen radices apud auctores hactenus nondum repertae sunt, nonnullae tantum in dialecto Vēdicā occurrunt, aliae cognatis linguis confirmantur. Ita obsoleta radix स्तिघ्, cui ascendendi notionem attribuunt grammatici, nostro *steigen*, graeco στείχω, εστιχον, russico *stignu* assequor (= स्तिघ्नामि), lithuanico *staigio-s* festino, hibernico *staighre* gradus approbatur. Radicem कूय् ire nunc confirmatam videmus vetere linguae persicae dialecto, ubi *s'iyu* (*) item significat ire, unde *as'iyawam* ivi, profectus sum, quod saepius occurrit in memorabili Behistuniensi inscriptione, quam nuper edidit et ingeniose interpretatus est Vir clarissimus H. C. Rawlinson in libro *Journal of the Royal Asiatic Society of Great Britain and Ireland*, Vol. X.

(*) *s'iyu* inserto *i*, quod semivocali *y*, si alia quam *h* eam praecedat consonans, semper anteponitur, pronomine *tya* excepto, inde e. c. *aniya* alias = अन्य, sed *thahyamahya* appellamur (cum terminatione Parasmaipadi = Vēd. मस्ति) a radice *thah*, quam non cum Benfeyo (*Die Persischen Keilinschriften* p. 83. s. v. *that*) ad scrt. गढ़ retulerim, sed potius ad चक्षु e चकास्, ita ut *h* respondeat sanscrito ध्, et *th* sanscrito च् = *tsch*, sicut in *thastana*, quod Benfeyus apte ad sanscritum चेष्टन् refert (l. c. p. 83.). Quod ad sibilantem attinet, quae in radice *s'iyu* respondet sanscrito कूय्, respiciatur zendicum *pērēšāmi* et neopersicum پرسپورس pursem = scrt. पृच्छामि interrogo, nec non antiqueae Persicae radix *ras* venire, unde *arasam* veni, quod saepius in inscriptione Beh. occurrit, sanscritoque आर्कम् respondet. Aspiratam autem sibilantem in radice *s'iyu* adhiberi censeo propter sequentem vocalem *i*, quae non raro aspirationem in antecedentem consonantem infert, inde e. c. *am'ya* sum contra *amahya* sumus; ita *d'* (sic cum Holzmannio — *Beiträge zur Erklärung der persischen Keilinschriften* p. 61. — legimus pro Rawlinsonii *t̄* et Lassenii *k'h*) nonnisi ante *i* vocalem loco fungitur sanscritorum द् et ध्, e. c. in *yad'ya si*, *pri'd'ya खाइःे*, salve, quorum prius convenit cum sanscrito यदि, alterum terminatione aequat formas Vēdicas et Zendicas ut श्रुधि, श्रुत्यव्य स्तुष्यद्धि (gramm. comp. §. 450.). Sanscrito ज् respondent *g'* et *g''* (sic cum Holzmannio legimus pro Rawlinsonii *jh*, *j* et Lassenii *z'*, *g'*), quorum prius invenitur ante *a*, alterum ante *i*, itaque e. c. *g'ad'ya dele*, caede = जाहि e हधि, *g''iwa vita* = जीव.